

INCVNABVLA

Qu

2838

kat.komp.

HC R 14541

BM IV 110 (IA 18836)


*Inc. Qu. 2838*

Bibl. Jag.



Inc. 2838

XIV. 4. 48 d, m



Pen

Coniunctiones et Orationes eud.

Scoptri (Hieron): O-  
rationis dicta in basili-  
ca B. Petri Ap-  
in die festo B.  
B. ad Innocen-  
tium VIII. P.M.

Ther

9740

Hie  
nem  
no d  
Car

CS  
red  
peric  
null  
mag  
dere  
tua r  
tum  
mon  
illu  
batu  
ut qu  
ta at  
pres  
ma h  
genit  
na ce  
ctis s  
qua u  
locat  
tis. pi

*of Flamin 74. 541*

Hieronimus Scoptius Senensis Episcopus Sua  
nensis Reuerendissimo in Christo patri & domi  
no domino Oli. Caraphæ Episcopo Sabinensi &  
Car. Neapolitano. S. P. D.

¶ Si pro tuis immortalibus erga me meritis Reue  
redissime dñe gratiæ sint agendæ nullæ digne re  
perientur. Si pro tua singulari in me beniuolentia  
nullū genus obseruantia erit tantū: quod possit  
magnitudini tuæ erga me beniuolentiæ respon  
dere. Non enim solum sententia atq; auctoritate  
tua me ornatum & maximis honoribus cumula  
tum esse uoluisti: sed etiā amplissimū mihi testi  
moniū dedisti uirtutis & integritatis: qđ eo fuit  
illustrius quo ab eius principis iudicio pficisce  
batur: cuius sapiētia. uirtus. auctoritas. tanta est:  
ut quicqđ in natura omni genere uirtutū exple  
ta atq; cumulata cogitari potest: in te uno id ex  
pressum cumulate esse uideatur: Quæ etsi maxi  
ma habeantur: & partim natura ipsa innata atq; in  
genita: partim grauissima institutiōe ac discipli  
na comparata sint: Eiusmodi tñ sunt ut uita ac fa  
ctis sint illustranda: atq; in lucem proferenda: in  
qua una re tantū est abste studiū positum. & col  
locatum: ut tibi in tota uita præter officiū sapien  
tis. pii. constantis. magni uiri. nō quicq; aliud pro

cf. Flamin 14. 541



positū fuisse uideatur. Quid ego magnitudinem  
animi. religionem. fidem. integritatem. cōtinen-  
tiamq; cōmemorem? Quid excellentem animū  
tot uirtutum præsidio munitum atq; firmatum?  
Quid grauitatem præcipuam? Quid constantiā  
singularem? quæ & summa moderatione doctri-  
næ & miti clementiq; natura ac moribus facilli-  
mis condiuntur. Quo fit ut cum multa præcla-  
ra in te omnes esse cognoscant: nihil tamen admi-  
rentur magis: q̄ quod Pythagoram diuinitus di-  
xisse ferūt: cum multa a diis hominibus optima  
esse data: Tum uero hæc duo præcipua uera lo-  
qui: & de omnibus benemereri. Atq; ea ille sic po-  
suit ut diceret sibi uideri utrunq; deoz esse opus.  
Quis te aut uerior aut beneficentior? Neq; uero  
in luce modo præstantior atq; in oculis omniū:  
q̄ domi. quæ disciplina domus: quæ moderatio  
rerum: quæ bonitas in tuos: quæ liberalitas: quæ  
ratio ut cuiq; cum pro dignitate ac meritis: tum  
uero ut plurimū uirtuti tribuatur? Quid quod  
cum omnes uitæ nostræ actiones ad extremū il-  
lud bonum sint referendæ: & templa dei sumus  
ut scribit Apostolus ea primum omni genere uir-  
tutum sic ornare uoluisti: eaq; ornamenta sic sta-  
tuere & collocare ut & stabilia esset & ppetua: &  
tanti principis hospitio digna inuenirent. Quo

2

effecto ut qđ secuudum fuit & quod posses tem-  
plis & locis quæ essent ad usum hominum con-  
stituta & parata: in quæ ad cultum diuinum cō-  
uenirent id abste tribueretur: alia uetustate ipsa  
labefactata maximis sumptibus abste sunt resti-  
tuta: Alia a fundamentis condita ac omnibus re-  
bus ornata & instituta. Atq; hæc omnia ita sunt  
abste administrata ut nihil fictum: nihil simula-  
tum: nihil a cupiditate ulla glorie profectum es-  
se uideatur. Quæ cum amplissima sunt testimo-  
nia bene muniti & cōstituti animi: tum summæ  
pietatis erga deum. Accedit his tot naturæ atque  
animi bonis nobilitas generis quam a tuis ma-  
ioribus partam & summis uirtutibus conserua-  
tam sic tueris ac sustines: ut non multum sit ti-  
bi de eorum laudibus repetendum: Non enim  
maiorum gloria ac uirtute niti ꝑ reclarum est:  
Sed efficere ut eorum uirtute dignus inuenia-  
re: id cum permagnum est & summi laboris:  
Tum uero etiam gloriosum. Quæ cum ita sint  
ut hanc meam in te obseruantiam perpetuam  
atque constantem & tuis immortalibus erga me  
meritis excitatam: & iudicio quodam meo ac  
uoluntate susceptam aliquo genere officii de-  
clararem: mitto tibi orationem illam quam die  
festo omnium sanctorum habui in templo Bea-

ti Petri Apostoli: cui dictioni quanq̄ interfueris:  
statui tamen esse officii mei ut tuo nomine lege-  
retur. quod eo faci libētius quo hęc nostra in te  
obseruantia quam in seruitutem uoluntariā con-  
ieci esset illustrior: & simul testatā relinquerem  
apud omnes tuam erga me egregiā uoluntatem  
& constituendæ dignitatis meæ studiū singula-  
re. Nam cū omnia beneficia magni extimanda  
sunt: Tum uero ea maxima sunt habenda: quæ a  
talibus uiris sapientia & uirtute summa preclari  
iudicio considerate constanterq; deferuntur.

3

Hieronymi Sceptii Senensis Episcopi Suanen-  
sis Oratio dicta in Basilica Beati Petri Apostoli  
in die festo Omnium Sanctorum ad Sanctissi-  
mum dominum nostrum Innocentium . VIII.  
Pont. Max. & ad Reuerendissimos Cardinales.

Beati pauperes spiritu quoniã ipsorũ est regnum  
cælorum: Mathæi quinto capit. & in Euangelio  
hodierno.

Cum omnis nostra institutio cõsistat in beata ui-  
ta comparanda Pater Beatissime eaq; ut extremũ  
expetendum omnium sit premium uirtutis & la-  
borum merces a Christo proposita atq; ea sit con-  
ditione ut ad illam omnes uitæ nostræ actiones  
sint referendæ: Sic instituēda nobis oratio est ut  
primum quid sit id de quo queritur uideamus.  
Est beatitudo comprehensio omniũ rerum quæ  
secundum bonum intelligentia ac mente cogita-  
ri ac percipi possunt: Beatum uero cui nihil deest  
quod omnibus his rebus expletum atq; cumula-  
tum est quæ ea de re possunt in rectam cupidita-  
tem: Hoc uero quale sit clarius apparebit si quod  
huic contrarium est miserũ definiatur quod est  
in rebus tristibus & erumnis & his quæ præter  
mentem nostram acciderunt miseria: Contrarii  
præterea utriusq; rei affectus existūt: præsens est

enim beato gaudere & lætari his rebus quæ ipsi  
propositæ sunt ad fruendum: Illi uero qui miser  
uideatur: e contrario presentibus rebus tristari.  
angi & dolere. Ipsum itaq; beatum proprie est na  
tura ipsa diuina: Beatitudo uero illa est uita ex  
qua nihil inueterascere. nihil extingui. nihil ca  
dere possit eorum in quibus ipsa consistit: Bonū  
quod oratione exprimi & mente cōprehendi aut  
cognosci nō potest: Pulchritudo quæ nullius lin  
gua explicari potest: gratia in seipsa permanens:  
sapiētia & uirtus: uera lux: fons ex quo omnis bo  
nitas oriat̄ potestas quæ prestat omnibus rebus:  
Quod solū amabile: Quod ea natura est ut sem  
per eodem modo se habeat: continua ac perpetua  
exultatio: sempiterna læticia: de qua si qs omnia  
quæ poterit dixerit nihil dicat necessē est ut rei  
ueritas ac dignitas postulat: Neq; enim mens no  
stra attingere potest quicq; illius quod est: neq; id  
ullius oratione explicari. Huius itaq; boni conse  
quendi cum maxima cupiditate tenerentur hi q;  
beati extiterunt: alii aliis uis ad illud peruene  
runt & præceptis dominicis instituti & his beati  
tudinis gradibus incensi quos in presenti Euan  
gelio dominus ostendit: Ex his cum octo sint nos  
duos tm̄ ad nostram institutionem breuiter susce  
pimus explicandos diuinū prius auxilium Ma

ria Virginis inuocantes ac dicentes. Aue.

Cum constet ipsum beatum nihil aliud esse nisi ipsam diuinitatem humanamque naturam ita esse a uerbo procreatam ut ad imaginem dei illam similitudinemque effinxerit; Secundo certe loco fuerit id Beatū quod in homine cōmunionē ac participationē ueræ beatitudinis erit; ut enim in specie corporis pulchritudo ipsa ex qua similitudo deducitur ipsa inest in uiua effigie; Secundo uero loco habetur post hanc ea quæ imitatiōe & arte in imagine exprimeretur; Sic & humana natura cum sit imago præstantis illius & excellētis beatitudinis & ipsa bona pulchritudine notabitur atque signabitur cum in seipsa declarauerit ac dederit beatorum radiorum significationes. Verū postquam pulchritudo illa quæ in imagine consistebat peccati sordibus obsoleuit & inquinata est: Venit qui nos ea turpitudine liberaret atque illis sordibus ablueret propria aqua & uiua & saliente in uitam æternam ut sublata atque deleta ea contaminatione ac labe in quam propter peccatum incideremus rursus in nobis beata renouaretur & restitueretur forma. Atque ut in picture arte dixerit peritus ad rudes illam pulchram esse effigiem quæ ex talibus sit partibus constituta

cuius & coma talis & oculorum orbis & superci-  
liorum lineamenta & generum status ceteraq;  
omnia quibus omni ex parte expletur & perfici-  
tur pulchritudo: Sic & modo Christus Iesus ad  
illius quod solum beatum est imitationem ani-  
mā nostram rursus tanq̄ pictura noua restituens  
per singula omnia quæ perducunt ad beatitudi-  
nem illius orationem atq; describit: & ait impri-  
mis: Beati pauperes spiritu qm̄ ipsorū est regnum  
cælorū: Quæ cū ita sint primū quæramus qd̄ sit  
pauperem esse spū: Quo esse genera diuitiarū sa-  
cræ līæ docuerūt: Vnū quod oī studio ac diligen-  
tia est quæredū ut diuina uoce testimonioq; lau-  
datū: Alterū qd̄ penitus reiiciendū ac repudian-  
dū ut dei ore sn̄iaq; dānatū: expetendæ sunt qd̄  
& oī studio quæredæ diuitie quæ uirtutibus cō-  
stāt: repudiandæ uero atq; dānandæ quæ posite  
sunt in materia rebusq; terrenis: Qd̄ ille qd̄ aīe  
sunt opes he uero ita cōstitute sūt ut sensus facil-  
lime cape possint ac ut ad illas uis nulla īteritus  
aut corruptōis pōt accedere & ppetuæ sūt: Sic he  
multis casibus subiectæ & infidiis multorū exposi-  
tæ fluxæ & labiles sūt. Cū itaq; cōtrariæ sint pau-  
pras & diuitiarū: pfecto scđm pportionem & duo  
erunt genera paupertatis: Vnū quidem reiiciendū  
Alterum omni studio expetendum, ut quod ad

5  
beatitudinem perducatur: Is igitur qui temperan-  
tiæ præclare possessionis cæterarūq; uirtutū pau-  
per inuentus fuerit miser erit ea paupertate & præ-  
clarissimarum rerū priuatione atq; absentia: Qui  
uero ita se cōstituerit & uirtute munierit ut oīm  
quæ uitii nomine comprehēdi atq; intelligi pnt  
sua sponte ac uoluntate abstinens fuerit & pau-  
per ac spiritu uiuens: is certe erit qui a uerbo di-  
uino in ea paupertate quæ beatum efficiat decla-  
ratur atq; ostenditur cuius premium regnum ce-  
lorum est. Et cum finis eius uitæ quæ est secun-  
dum uirtutem sit similitudine ad diuinā naturā  
accedere: Atqui impatibile & affectione carens  
& interitu refugit penitus humanā omnem imi-  
tatiōem: Neq; enim ullo modo possibile est eam  
uitam quæ perturbationibus & affectionibus sit  
subiecta similem fieri illi naturæ in quam nullæ  
omnino affectiones cadere possunt: Quod si sola  
natura ipsa diuina beata ut appellat Apostolus  
cōmunitas uero beatitudinis atq; societas est ho-  
minibus ea similitudine quæ est illis cum deo:  
imitari uero eum sit impossibile illud consequi  
tur necesse est ut attingere non possit ad beatitu-  
dinem uita humana neq; illam consequi aut imi-  
tatione comprehendere. Sed sunt permulta diui-  
nitatis ita nobis proposita ad imitandum ut fa-

cile uolentes ea imitari possimus: Quænam hæc  
erūt: pauperem esse spiritu: quod nihil aliud uer-  
bum diuinum uocare uidetur nisi uoluntariam  
humilitatem & animi abiectiōem cuius exem-  
plum dei pauperiem nobis proponit Apostolus  
cum ait: Qui propter nos pauper factus est cum  
diues esset ut nos illius paupertate diuites effice-  
remur: Quo constituto cum cætera omnia quæ  
circa diuinam naturam contemplari cogitariq;  
ab homine possunt humanæ naturæ fragilitatē  
atq; infirmitatem longe excedant: imbecillitas  
uero atq; humilitas & cognata nobis quædā res  
sit atq; innata quorum origo e terra est eoq; rece-  
dit: ita nobis danda opera est ut in eo quod possu-  
mus nec humanæ naturæ uim potestatēq; trans-  
greditur deū imitemur & beatam ipsi quoq; in-  
duamur formā: & nemo sit qui putet se facile cō-  
sequi posse ac sine ullo labore humilitatis ipsius  
uim & effectum cum ex his quæ uirtute exercen-  
tur nihil in tota uita sit aut difficilius aut labo-  
riosius ppter multiplices inimici nostri insidias  
Nam quibus rebus ipse tanta cecidit dignitate  
ac gloria iisdem miserum hominum genus in cō-  
munem sibi casum calamitatemq; coniecit: nul-  
loq; grauior humana natura malo laborat q̄ mor-  
bo superbiæ: Quod cum insitum & ingentū sit

unicuique prope qui particeps est humanæ natu-  
 ræ efferrī superbia. hac de causa dominus hinc cæ-  
 pit uiam quæ perducit ad beatitudinem institue-  
 re atque munire tanquam aliquod a principio insitum  
 & innatum malum euellens ex habitu nostro su-  
 perbiam cum consulit ut imitemur sponte & sua  
 uoluntate pauperem factum qui est uere beatus  
 ut in eo quod possumus & ut uires nostræ patiuntur  
 similes illi effecti ex eo quod nostra sponte atque sen-  
 tentia in paupertate uersemur beatitudinis etiã  
 societatem ac cõmunionem consequamur. Hoc  
 sentite in uobis inquit Apostolus quod & in Christo  
 Iesu qui cū in forma dei esset nõ rapinam arbitra-  
 tus est esse se æqualem deo sed seipsum exinani-  
 uit formã serui accipiens. Quid abiectius? Quid  
 paupius in deo serui forma? Quid humilium in  
 rege omnium quæ sunt quæ in societatem ac com-  
 munionem naturæ nræ sponte descendere? Rex  
 regum & dominus dominantium seruitutis for-  
 mã uolens speciemque suscepit. Ad hoc illud acce-  
 dit ut quemadmodum superbia e paradiso eiectioni  
 fueramus: ita primo humilitatis præcepto in pri-  
 stinã sancti loci possessionem restitueremur. Ve-  
 rum ut medici scientia doctrinaque præstantes fa-  
 cere solent cum causas morbi uimque perceperint:  
 ut prius eas eiiciant eaque ratione facilius ratio su-

perandi morbi relinquatur: Sic & nos oporteret  
iactantiam ac impetum eorum qui superbia effe-  
runtur ratiōe sedare atq; reprimere ut faciliorem  
nobis aditum ad humilitatis uiam constituere-  
mus: Sed quia temporis breuitas non patitur: &  
simul omnia quæ supbiæ nomine intelliguntur  
is facile contemnet qui fragilitatem atq; imbecil-  
litate humanæ naturæ cogitauerit & ante ocu-  
los semper habuerit unde orti simus & quo rece-  
damus ideo omitemus. Beatitudo itaq; illi pro-  
posita est: qui parui temporis humilitate uolun-  
taria cælorū regnum cōmutauit. Nec aspernen-  
da est aut repudianda & alia ratio paupertatis per  
quam nobis cælestes diuitiæ parantur. Vende in-  
quit quæcunq; habes & da pauperibus & habe-  
bis thesaurū in cælis & sequere me: Et enim hoc  
ipsum quoq; genus paupertatis non uidetur esse  
alienum ab eo quod beatitudinem efficere solet.  
Ecce relictis omnibus quæcunq; habuimus secu-  
ti sumus te inquit ad dominū discipulus. Quid  
ergo erit nobis: & quæ responsio: Beati pauperes  
spiritu quoniā ipsorum est regnum cælorū. Vul-  
tis cognoscere quis pauper spiritu is est qui ani-  
mæ diuitias corporis facultatibus atq; opibus p-  
mutauit: qui propter spiritū pauper est: qui his  
terrenis relictis fluxisq; diuitiis tanq̄ aliquo pon-

7

dere reiectis atq; depositis sublimis & aereus ad  
superiora fertur ut ait Apostolus. Grauis quædã  
res aurum est: grauis omnis propter diuitias ex-  
petita & parata materia: leuis uero & ad superio-  
ra tendens est uirtus. Atqui repugnant hæc sibi  
inuicem pondus & leuitas: Nonne igitur impos-  
sibile est aliquem fieri leuem qui sese ponderi ma-  
teriæ adiunxerit atq; affixerit. Si itaq; ad superio-  
ra peruenire oporteat eorū quæ ad inferiora tra-  
hunt pauperes simus ut in superioribus esse pos-  
simus: Quis autem modus? declarat Propheta:  
Dispsit dedit pauperibus iusticia eius manet in  
sæculum sæculi: Cui est cum paupere rerum com-  
munitas is in partem eius qui nostra causa pau-  
per factus est seipsum constituit: pauper fuit do-  
minus neq; tu timeas paupertatem: Atqui rex est  
omnis creaturæ q; propter nos paupertatem subiit:  
Nonne igitur si cum paupere Christo pauper fa-  
ctus eris & cum Christo regnante omnino conre-  
gnabis? Beati itaq; pauperes spiritu quoniã ipso-  
rum est regnum cælorum. Hoc loco res illud po-  
stulare uidebatur ut singuli gradus qui pducunt  
ad beatitudinem & hic Christi institutione de-  
scribuntur nostra oratione explicarent: Sed quo-  
niã temporis breuitas ferre nõ potest: & simul  
mitem esse: & lugere: & sitire & esurire cæteraq;

-r-

omnia quæ efficiunt beatitudinem ita sunt mu-  
tuo coniuncta ut disiungi aut separari non possint  
atq; ita natura constituta ut singula ad eundem  
finem referantur idem spectent idem sequantur  
illis omissis ad extremū & perfectum accedemus  
quo illis qui propter iusticiam persecutionem pa-  
tiantur propositum est premium regnum cælorū  
Beati enim inquit pauperes spiritu quoniam ipso-  
rum est regnum cælorum: Quod præceptū octa-  
uo loco est constitutū ut omni ex parte perfectū  
& in extremo beatitudinis gradu positum & col-  
locatum: de quo octauo numero magna myste-  
ria inueniuntur: duo psalmi a Dauid propheta ita  
scripti sunt ut in his Octauæ titulum poneret cu-  
ius octauæ enygmate diem resurrectionis decla-  
rari atq; intelligi uoluit. Purificatio præterea &  
circumcisionis institutū utraq; ut octauo die fie-  
rent est lege sancitum atq; seruatum: Quorū pri-  
mū reditum ac restitutionem ad purum & secun-  
dum naturam inquinati hominis declarat: Alte-  
rum uero abiectioem ac depositionem mortuo-  
rum pellium significat: quibus post transgressio-  
nem mādati uita exuti induti fueramus: Et nūc  
octaua institutio beatitudinis ita se habet ut p-  
eam illi restitutionem in cælos cōsequantur: qui  
quidem ceciderāt in seruitutem rursum uero ad

regnum e seruitute reuocati: Beati enim qui per-  
secutionem patiuntur propter iusticiam quoniã  
ipforum est regnum cælorum. Ecce hic finis cer-  
taminum quæ secundum deum sunt hæc laborũ  
merces: hoc sudorũ premiũ: regno cælesti dignũ  
iudicari atq; in id admitti. Sed quarendum est q  
sint hi qui persecutionem patiant & a quo: & ra-  
tio quidem expedita & perspicua nobis martyꝝ  
studium declarat & fidei cursum significat: Per-  
secutio enim indicat atq; insinuat intentum cur-  
rentis in maxima celeritate studium ac diligen-  
tiam: quin potius & in cursu ipso uictoriã: Neq;  
enim ullo alio modo possibile est eum cursu esse  
uictorẽ nisi aliquo interuallo post terga relique-  
rit illum qui secũ cursu & celeritate certabat. Cũ  
itaq; & ille qui ad brauium supnæ uocatõnis cur-  
rit: & qui propter brauium ab inimico psecutio-  
nem patitur utriq; post terga æqualiter habeant  
ille quidem secum cursu pugnantem hic uero p-  
secutionem hi autẽ sint qui in his certaminibus  
quæ pro pietate susceperunt uexati & persecutio-  
nem passi nõ autem comprehensi extiterunt: ui-  
detur uerbum diuinũ caput & summã eius beati-  
tudinis quæ p spem nobis proposita est tanq; ali-  
quam coronam in extremo loco ptoposuisse. Bea-  
tum certe propter dominũ uexari & pati persecu

tionem: quia de causa: quod scilicet uexari & exa-  
gitari ab inimico ita constitutum est ut causa fiat ut  
in bono sit: mali enim alienatio familiaritatis &  
coniunctionis ad bonum occasio est: bonum aut  
& ultra omne bonum ipse est dominus ad quem  
currit qui persecutionem patitur. Nonne igitur ue-  
re beatus qui ad bonum consequendum inimico  
auxiliatore ac cooperatore utatur: Quo fit ut etsi  
martyrum supplicia acerbissima speciem quidem  
tristem ac plenam angorum præ se ferret eorum  
tamen consideratio & finis transgrederetur omnem  
beatitudinem: ex quo accidebat ut qui ita erant &  
fide armati & uirtutibus constituti ut martyrium  
pro Christi religione ac fide susciperent hi nullis  
uoluptatibus impedirentur nec ulla rerum hu-  
manarum iactura mouerentur: cum non quid re-  
linquerent sed quo contenderent & quo perueni-  
re laborarent cogitarent. magnamque ex lucro cae-  
lestium uoluptatem caperent: atque hac de causa omnia  
genera suppliciorum tanquam ea essent quae perduce-  
rent eos ad propositum gaudium ac regnum liben-  
tissime pertulerunt: Ignem ut uim quae purgaret  
ab omni labe materiam: Gladium ut rem quae se-  
peraret atque seiungeret mentis societatem ac con-  
iunctionem quae illi cum in hoc corpore uersare-  
tur cum carne & materia intercedebat: Caetera ue-

ro genera pœnarum ex omni imanitate conquisi-  
ta tanq̄ essent medicamenta quæ uim eorum ue-  
nenorum extinguerent atq; superarēt quæ ex uo-  
luprate orta essent forti & constanti animo subie-  
rūt. Cum uero per uoluptatem peccatum ortum  
sit per contrariam illi uim profecto expellet atq;  
delebitur: Nonne igitur hi qui in corpora marty-  
rum propter fidem atq; constantiam quã domi-  
no suo prestiterunt tam crudeliter seuerūt & in-  
tollerabilia supplicia excogitarunt: medicinam  
quandam animabus per eos dolores pœnasq; ad-  
duxerunt? multiplicata acerbitate doloris ui tor-  
mentorum curantes eum morbum qui ex uolu-  
ptate innatus esset. Sic crucem Petrus: gladium  
Iacobus: lapides Stephanus susceperunt: Sic cæ-  
teri omnes post hos qui pro fide ac religione cer-  
tarunt uaria genera pœnarum debilitatis omni  
ex parte corpibus ac dolore cōfectis tanq̄ ea uim  
haberent ad purgādum tollendumq; peccatum  
cum gaudio & læticia ptulerunt: ne uestigiū ul-  
lum uitii in corde quod per uoluptatem in eo in-  
situm & inatum esset relinqueretur: hoc tūsti &  
acerbo sensu doloris omnes quæ ex uoluptatæ in-  
site & impressæ essent forme atq; figuræ penitus  
delente atq; tollente. Beati itaq; qui persecutiōem  
patiūtur propter me ait dominus: quod idem est

ut & aliam rationem afferamus ac si beatum di-  
ceret eum qui ab omnibus quæ re & nomine con-  
traria sunt uirtuti & bono uexetur atq; expellat:  
extra enim mala esse in bonis est esse constitutū:  
faciens peccatum ait dominus seruus est peccati:  
nōne igitur qui defecerit ab eo cui seruiet se in  
libertatem dignitate atq; auctoritate uindicabit  
Extrema uero ac prestantissima species libertatis  
est nulla necessitate esse deuinctum: sed libera po-  
testate ac uoluntate ornatum: Atqui dignitate re-  
gia nulla præstantior nulla excelsior esse potest:  
Nonne itaq; si qui sua potestate ac libera uolun-  
tate fruitur est a peccato alienus: proprium uero  
regni sit potestas libera & imperium illud conse-  
quatur necesse est ut beatus efficiatur qui a malo  
fuerit uexatus atq; expulsus tanq̄ persecutiōe ac  
uexatione quæ inde oritur regiā illi dignitatem  
comparante atq; efficiente. Ne igitur moleste fe-  
ramus cum fuerimus terrenis eiecti atq; depulsi:  
qui enim hinc discesserit in celestibus regis ha-  
bitabit. Quo hæc elementa sunt in rerum natura  
& omnium quæ sunt creatione ad uitam naturæ  
ratione predictæ partita atq; diuisa: terra & cælū:  
locus eorum qui uitā in hoc corpore sortiti sunt  
terra est: cælum uero eorū qui corpore caruerūt:  
quæ cum ita sint necesse est omnino in altero ho

rum uersari nostram uitam: Si nullam uexationem aut persecutionem uel eiectionem a terra patiemur; terrenis penitus imersi permanebimus: Sin uero inde expellemur in cælū migrabimus. Videtis ne igitur quo nos perducatur uis ipsa quæ beatitudinem efficit per id quod acerbum ac triste uidebatur talis ac tanti boni effecta conciliatrix & media: Quod quidem cum Apostolus cognosceret ac cogitaret ait omnem institutōem ac disciplinam primo quidem tempore non uideri esse gaudii sed tristitiæ: postea uero fructum pacificum his qui per eam se exercuerint reddere iustitiæ. Nonne igitur si expectator fructuum flos est erumna & afflictio ut fructū colligamus etiā florem decerpemus: uexemur & persecutionem patiamur ut curramus: currentes uero nō frustra laboremus: sed ad brauium supernæ uocationis nonster cursus peruenire contendit: Sic curramus ut comprehendemus. Quid illud quod comprehendere & accipi debet? Quid brauium? Quid corona? Non mihi uidetur aliud quippiā esse præter dominum ipsum unumquodque eorum quorum spe tenemur. ipse est enim magister & prefectus certantium & corona uictorum: ille distributor sortis: idēque sors bona. ille bona portio: idēque qui portionem tibi gratificatur. Ille qui diuites facit. idemque diui-

tia. Ille qui ostendit tibi thesaurum: & idem the-  
saurus tibi effectus. Ille qui te in cupiditate pul-  
chræ margaritæ adducit: & idem ad emendū ti-  
bi bene mercanti & negociāti propositus. Vt igitur  
illa possideamus hæc dimittamus ut in foro  
facere solemus quæ non habemus permutantes  
his quæ habemus. Ne igitur tristitia ac dolore cō-  
ficiamur cū uexamur & exagitamur: qn̄ potius  
magnā ex ea re uoluptatē læticiāq; capiamus: qđ  
illud oritur ex eo qđ expellamur ab his quæ ter-  
ræ præclara uideri solent ut ad cæleste bonum cō-  
pellamur secundū eum qui promisit beatos futu-  
ros qui propter ipsum persecutionem paterentur  
quoniam ipsorum futurum esset regnum cælorū  
gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi  
cui est honor & gloria per infinita sæcula sæcu-  
lorum. Amen.



o  
s  
s  
d  
o  
u  
r  
e  
ti  
w  
d  
co  
ib  
A  
m  
on  
ni  
ol  
d

